

**Additiones in Libris liturgicis Ritus Romani
de memoria ad libitum sancti Ioannis Henrici Newman, presbyteri et Ecclesiæ doctoris**

IN CALENDARIUM ROMANUM GENERALE

OCTOBER

9 *S. Ioannis Henrici Newman, presbyteri et Ecclesiæ doctoris*

IN MISSALE ROMANUM

Die 9 octobris

S. Ioannis Henrici Newman, presbyteri et Ecclesiæ doctoris

De Communi pastorum: pro uno pastore (p. 933), vel de Communi doctorum Ecclesiæ (p. 943).

COLLECTA

Deus, qui sanctum Ioánnem Henrícum, presbýterum,
lumen benígnum tuum sequéntem
pacem in Ecclésia tua inveníre contulísti,
concéde propítius ut, eius intercessióne et exémplo,
ex umbris et imaginibus
in plenitúdinem veritátis tuæ perducámur.
Per Dominum.

IN ORDINEM LECTIONUM MISSÆ

Die 9 octobris

655bis S. Ioannis Henrici Newman, presbyteri et Ecclesiæ doctoris

De Communi pastorum vel doctorum Ecclesiæ

LECTIO I **Sir 39**, 8-14 (gr. 6-11), n. 725, 4.
PS. RESP. **Ps 39**, 2 et 4ab. 7-8a. 8b-9. 10, n. 721, 3.
ALLELUIA **Mt 23**, 9b. 10b., n. 723, 1.
EVANG. **Mt 13**, 47-52, n. 730, 3.

IN LITURGIAM HORARUM

Die 9 octobris

**S. IOANNIS HENRICI NEWMAN,
PRESBYTERI ET ECCLESIAE DOCTORIS**

Londinii natus anno 1801, officiis clerici anglicani atque Socii collegii Oxoniensis vulgo Oriel nuncupati plus quam viginti annos functus est. Ecclesiæ primævæ historiam enixe perscrutatus, ad fidem catholicam pedetemptim attractus, anno demum 1845 in unicum Redemptoris ovile, ut ait, receptus est. Sacerdotio catholico auctus anno 1847, Oratorium Sancti Philippi Neri in Anglia instituit. De variis rebus multa magno effectum scripsit. Ut humilis atque ardens pastor laudatus, qui lumine suo intellectuali Ecclesiam valde illustraverat, anno 1879 a papa Leone XIII in Collegium Cardinalium aggregatus est. Birminghamiæ mortuus est die 11 augusti anno 1890. In numero sanctorum adscriptus anno 2019 atque doctor Ecclesiæ a Summo Pontifice Leone XIV anno 2025 declaratus est.

De Communi pastorum: pro presbyteris, vel doctorum Ecclesiæ.

Ad Officium lectionis

LECTIO ALTERA

Ex Scriptis sancti Ioannis Henrici Newman, presbyteri et Ecclesiæ doctoris
*(Apologia Pro Vita Sua, Chapter V: Position of My Mind since 1845, London 1864,
pp. 238-239, 250-251)*

Tamquam fluctibus agitatum in portum me tandem venisse videbatur

Ex illa die qua catholicus factus sum et deinceps, nihil plane sententiarum de religione narrandum plus habeo. Mentem autem nequaquam pigram reliqui neque a ratiocinationibus theologicis abstinui, sed neque variationes in cogitatione neque sollicitudines in corde referre valeo. Omnis dubii expers, in pace perfecta atque tranquillitate hucusque vivo. De intellectu vel

móribus a die conversiónis meæ mutátis nihil cónscius sum. Etenim, nec fidem in veritátes Revelatiónis principáles firmiorem, nec mei compotiorem, nec meípsum ferventiorem sentiébam. At tamquam flúctibus agitátum in portum me tandem venísse videbátur; unde meípsum usque ad hodiérnam diem beátum iúgiter æstimo.

Neque artículos însuper qui de sýmbolo anglicáno desunt diffíciles recéptu invéni. Nonnúllos enim iamdúdum accéperam; ómnibus autem absque periclitatióne consénsi. Quos in die receptiόνis sine ulla disceptatióne proféssus sum, eósdem étiam nunc ita confíteor. Sunt enim diffícultátes intellegéndi in ómnibus sýmboli christiáni artículis sive a cathólicis sive a protestántibus proféssis quas neque negáre neque simpliciter me sólvere posse assevéro. Ac tamétsi multi sunt qui diffícultátes in Religióne séntiant, quorum ego unus sum, coniunctiόνem tamen numquam vidére pótui inter apprehensióem illárum diffícultátum, quamvis acúte et quotquot sint, et dubitatióem doctrinárum cum quibus coniúctæ sunt. Decem mília enim diffícultátum ne síngulum quidem dúbium gígnere posse mihi vidétur, eo quod diffícultátes nequáquam dúbii commetiúntur. Diffícultátes enimvéro in arguméntis prorsus adesse possunt; hic autem de diffícultátibus in ipsis doctrínis intrínsecis vel quoad earúndem doctrinárum relatiónes in altérutras loquor. Scílicet ut áliquis vexátur dum quæstióem mathemáticam sólvere non potest, étiam cum solútió illi sive præstita sive reténta est, sed non dúbitat quin solútió admítteri possit vel solútió quædam vera exsístat. Ex ómnibus fidei dogmátibus, mea senténtia valde diffícillimum est quod Deus exsístat, sed méntibus nostris quam potentíssime imprimitur.

Sunt tamen qui doctrínam Transubstantiatiónis diffícilem créditu aiunt. Ego quidem, cum illi doctrínæ non credíderam donec cathólicus essem, nihilóminus simul ac Ecclésiám Románam Cathólicam esse oráculum Dei cognóveram, atque eam docuísse istam doctrínam ab orígine esse revelátam, facíllime crédidi. Quod hanc doctrínam mente concípere sit árduum, immo impossíbile, libénter concédo; sed quómodo sit diffícile huic crédere, quæso. Toto vero dógmati reveláto, ab Apóstolis docto et Ecclésiæ trádito et ab Ecclésiá mihi declaráto, credo; atque ut nunc interpretátur et, implícite, sicut ab illa auctoritaté cui commíssum est prætérea símili modo interpretábitur usque ad consummatióem sáeculi, idem accípíó. Insuper illis traditióibus semper et ubíque in Ecclésiá recéptis, in quibus res continétur definitiόνum dogmaticárum intérdum declarátarum, et quæ in ómnibus sáeculis dógmati Cathólico iam declaráto textum et exéplum præbent, adhæreo. Aliis quoque Sanctæ Sedis senténtiis, sive theológicis sive non, per instruménta a se statúta procedéntibus, quæstióne utrum infallibilitáte sint præditæ prætermíssa, quibus saltem parére atque obtemperáre débeo, me submítto. Existimánda est porro, ut opínor, Cathólicæ fidei investigátió paulátim per sáecula spécies certas et várias assumpsísse, in formam sciéntiæ se extruxísse, ratióne et locutióne sibi próprios a doctíssimis sicut Athanáσιο, Augustíno atque Thoma de Aquíno evolútis, se ornásse; neque talem hereditátem intellectuálem nobis his posterióribus diébus legátam ullo modo dirúmpere vellem.

RESPONSORIUM

Cf. Eph 3, 7. 10; Io 16, 13

R/. Evangélii factus sum miníster secúndum donum grátiae Dei, quæ data est mihi secúndum operatióem virtútis eius, * Ut innotéscat per ecclésiám multifórmis sapiéntia Dei.

V/. Cum autem vénerit ille, Spíritus veritátis, dedúcet vos in omnem veritátem. * Ut innotéscat.

Oratio

Deus, qui sanctum Ioánnem Henrícum, presbýterum, lumen benígnum tuum sequéntem pacem in Ecclésia tua inveníre contulísti, concéde propítius ut, eius intercessióne et exémplo, ex umbris et imaginibus in plenitúdinem veritátis tuæ perducámur. Per Dominum.

IN MARTYROLOGIUM ROMANUM

Addi debet ad diem 9 octobris primo loco elogium quod sequitur:

Sancti Ioánnis Henríci Newman, doctóris Ecclésiæ, qui, ex Anglia oriúndus, æque philosophus et theólogus dignus laude, in confessióne Anglicána natus, públice intrávit cathólicam Ecclésiám auxílio étiam beáti Domínici a Matre Dei e Congregatióne Passiónis, tum presbyter factus, óperam Oratoriórum Sancti Philíppi Neri in natióne sua cepit atque promovít, paulo post Cardinális Sanctæ Ecclésiæ Románæ a Leóne papa Décimo Tértio creátus, prædicatióne et scriptis super veritáte Christi náviter emínuit.